Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1497

Quelle:
Copyright:



*corporea et ſpiritus ſimpliciter comprehenditur a corpore, anima uero non poteſt comprehendi, et ſpiritus, cum ſeparatur a corpore, perit, opera uero anime pereunt a corpore, ſed ipſa non perit in ſemetipſa* &c. Ultima ſunt: *et det tibi vitam eternam. Amen. An Arnaldi de Villanova*, aut *Raym. Lulli?*

XVI. *fol.* 204. p. 2. Sine Inſcriptione *Joh. Wicleſi* Opuſculum *de VII. Donis Spiritus ſancti*, cujus initium: *Cum ſpiritus ſit tertia perſona* &c. ut alibi.

XVII. *fol.* 208. Quaeſtio: *Vtrum poteſtas clauium eccleſie extendit ſe ad remiſſionem pene et culpe.* Ad calcem legitur ventilata: *Per M. Pe. de Vgezd in veſperijs M. andree Brode.* In *Bob. docta Balbini* reperio P. I. p. 74. *Petrum de Vgezd* pro gradu examinatum fuiſſe a. 1392. Compactoris vitio Diſſertatio haec inſerta eſt medio Tractatui praecedenti. Idem accidit ſequenti Opuſculo.

XVIII. *fol.* 209. p. 2. *Poſicio Magiſtri Stephani Palecz. Vtrum de neceſſitate ſalutis ſit hominem confiteri ſolis presbiteris omnia ſua peccata tam mortalia quam venialia.* Tam de *Andrea de Broda*, quam de *Steph. Palecz* dictum eſt ſaepius, et haec utriusque Diſſertatio catholica eſt.

XIX. *fol.* 217. *Queſtiuncule*, ut in calce, *conſcripte a magiſtro ſtephano quondam vicario in ſpiritualibus domini Arneſti tunc autem canonico regulari in Rudnicz.* B. *Arneſtus* Archiep. *Prag.* obiit a. 1364. Collegium *Raudnicenſe* vaſtatum eſt ab *Huſſitis* a. 1421. Quaeſtiunculae noſtrae Caſus Conſcientiae proponunt et reſolvunt, utiliſſimae certe Paſtoribus ſuo tempore. Exempla earum duo *mſs.* excitat *Balbinus Bob. doctae* P. II. p. 172. Ineunt: *Statutum domini archiepiſcopi ſic dicit. Nullus presbiter parochianum alterius ſine licentia proprij ſacerdotis* &c.

XX. *fol.* 233. Collectanea levis momenti: *Pro Defunctis*, de Confeſſione, *Mirabilia de Corpore Chriſti*, deque illo Loca quorundam Patrum.

## CCCCIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 227. 4. non una manu perſcriptus, et rubricis diſtinctus. *Wicleſica* continet ſequentia: I. absque Titulo *Dialogum* ſaepius jam relatum, qui orditur: *Cum ydemptitas ſit mater faſtidij* &c. Ad calcem: *Explicit dyalogus editus a reuerendo magiſtro Jo. de Wy. ſacre Theologie profeſſore doctoreque ewangelico Nacionis anglicane. In quo deſcribit* &c. Hic exhibetur brevis Conſpectus Operis adjecto Librarii *Bohemi* nomine, quod a Quodam pie inepto extritum eſt. 931

II. *fol.* 24. *Sequuntur capitula abſtracta per falſos fratres a dyalogo precedenti.* Item: *Sequitur Supplementum dyalogi.* Dedimus illud jam alias eodem modo inſcriptum, et incipiens: *Sed demum arguunt recentius* &c. Ad calcem legitur: *Et ſic eſt finis*